Q. D. B. V.

SPECIMEN CHYMICUM EXPERIMENTALE,

EXHIBENS

SAL SEIGNETTE,

ALIAS

POLYCHRESTUM RUPELLENSE

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VOCITATUM,

QUOD

EX DECRETO ET INDULTU SUPERIORUM,

IN ACADEMIA BORUSSORUM ALBERTINA

PRO LOCO

PROFESSIONIS CHYMICÆ EXTRAORDINARIÆ

IN FACULTATE MEDICA, OBTINENDO,

PUBLICE EXHIBET,

FRIDERICUS GOTTLIEB HAUPT,

PROFESSOR CHYMIÆ PUBLICUS EXTRAORDINARIUS,
AULÆ REGALIS PHARMACOPOEUS ET COLLEGII MEDICI
BORUSSICI ASSESSOR.

A. R. S MDCCXL. D. IX APRIL.

REGIOMONTI, LITTERIS REUSNERIANIS.

Digitized by Google

AUGUSTISSIMO PATRIÆ PATRI,
SERENISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO,

DN. FRIDERICO WILHELMO,

REGI BORUSSIÆ,

MARCHIONI BRANDENBURGICO,
S. R. I. *ARCHI-CAMERARIO ET ELECTORI,*
SUPREMO ARAUSIONENSI, NEOCOMENSI ET VALAN-
GINENSI *PRINCIPI,*
GELDRIÆ, MAGDEBURGI, CLIVIAE, JULIÆ, MON-
TIUM, STETTINI, POMERANORUM, CASSUBIORUM,
VANDALORUM, ET MEGAPOLIS, ITEM IN SILESIA CROSNÆ
DUCI,
BURGGRAVIO NORIMBERGENSI,
PRINCIPI HALBERSTADII, MINDÆ, CAMINI,
VANDALIÆ, SVERINI, RACEBURGI, FRISIÆ
ORIENTALIS ET MEURSÆ,
COMITI HOHENZOLLERIÆ, RUPINI, MARCÆ,
RAVENSBERGÆ, HOHENSTEINII, TECKLENBURGI,
LINGÆ, SVERINI, BURÆ, LEERDAMI,
DYNASTÆ RAVENSTEINII, ROSTOCHII, STARGARDIÆ,
LAUENBURGI, BUTOVIÆ, ARLAIÆ, AC BREDÆ, &c. &c. &c.
REGI AC DOMINO SUO CLEMENTISSIMO,

Plagulis hisce, devotiſſimæ mentis, gratitudinem profundiſſimam, teſtificetur, primum item officii Academici gratioſiſſimè demandati laborem, ſubjectiſſima manu offert,

Servus ad urnam humillimus
FRIDERICUS GOTTLIEB HAUPT.

SPECIMEN CHYMICUM
DE
SALE SEIGNETTE.

Inſtituti Conſpectus.

DOcet quotidiana nos experientia, quod Chymici pariter & Phyſici, de rebus naturalibus curatius ſoliciti, magnam impendant diligentiam, quacum ad indagandas ipſas, magisque excolendas, non parvam inſumunt operam, ut easdem nobis jam jam præſentes reddere inque apricum ponere ſtudeant. Deſudarunt hac in parte viri experientiſſimi non pauci, qui laudabiliter non minus, quam operoſe negotium hoc aggreſſi ſunt: ob quam cauſſam ex ſingulorum in Chao-mundano reperiundorum corporum, aſſidua contemplatione, cooperante inſuper indefeſſo labore, plurima hactenus tam in naturâ, quam arte abſcondita atque ſecreta, temporis ſucceſſu patefacta imo palam detecta fuiſſe, conſtat. Ut unum præ ceteris omnibus, in medium proferamus, eſt illud non vile ſed grande, quod lætari æque ac mirari fas eſt, naturæ & artis productum, Sal ſcilicet haud dudum manifeſtatum, SEIGNETTE dictum: de cujus origine, modo præparandi, ac virtute qua pollet inſigni, his in plagulis agere nobis animus eſt. Faxit DEus feliciter!

Digitized by Google

§. I.

Inventor ſalis noſtri indigitatur.

Quod ergo ſal hoc memoratum attinet, nomen ſuum ab Inventore, Gallo quodam trahit, SEIGNETTE appellato, qui ejusdem præparationem longos per annos ſummi inſtar myſterii habuit, ingentemque inde pecuniæ ſummam ſibi comparavit.

§. II.

Sal Seignette Cl. Geoffroy patefecit.

Quia autem tanti arcani ſui inventionem, unice ex Chymia rationali, & inprimis cognitione ſalium petiit, factum omnino eſt, ut Chymico experientiſſimo Cl. GEOFFROY rem ipſam perquirenti, hæc proſpere evenerit, ac ſalis hujus tam diu celati & tenebris occultati, elaborationem ex fundamento patefecerit, eandemque *Regia Scientiarum* Societati Pariſienſi, * & paulo poſt quoque Londinenſi, ** dextre communicare nullus dubitaverit.

§. III.

Definitio ſalis Seignette traditur.

Fateri autem convenit, quod ſal hoc eximium, nihil ſit aliud, quam Tartarus ſolubilis, conſtans ex *Soda Alicantica* & cremore tartari.

§. IV.

Dantur diverſæ ſpecies Sodæ.

De Soda autem mox notari meretur, quod quamvis a non paucis hucusque ſtatutum fuerit, illam omnem unius generis eſſe atque effectus; ad præparationem vero ejusdem ſe quisquis accingens, apertam tamen obſervaturus ſit differentiam. Contigit quippe nobis, cum ad elaborandum *ſal Seignette*, ex locis extraneis diverſis, *Sodam*

* Vide memoires de l'Academie des Sciences Anni 1732.
** Philoſophical Transactionis, N. 436.

Digitized by Google

Sodam Hiſpanicam apportari curaverim, ut hæc nullatenus ſuſcepto labori eique abſolvendo ſuffecerit, etiamſi, ratione aſpectus & ſaporis, ſui, ſodæ alicanticæ æquiparari potuerit. Produxi etenim ſal aliquod medium, cryſtallino non abſimile, candido tamen atque diaphano ex Gallia mihi tranſmiſſo nondum conforme eſſe, oppido inveni, ac animadvertere cuique licuit.

§. V.

Ex Anglia tandem genuinam accipiens transportatam Sodam alicanticam, hanc Experimento novo ſubjeci per quod in proceſſu *ſalis Seignette* inſtituto, feliciſſimum attigi ſucceſſum, ope cujus, perfectionem, ſali ex Gallia antea mihi communicato, in omnibus analogam, jam eſſe judicavi.

Cum vera autem Soda genuinus ſalis obtinetur ſucceſſus.

§. VI.

Sodam hanc quod attinet, eſt ipſa nil aliud, quam ſal alcali fixum, ex incinerata Herba Kali paratum, cujus iterum diverſæ dantur ſpecies, de quibus Autores botanici evolvi & perlegi poſſunt. Sic LEMMERI in ſuo *Dictionaire des drogues ſimples* ſub titulo Kali, varias ex is recenſet, ſummatim verò deſcribit herbam Kali: *Eſt une plante qui croit à la hauter d'environ trois pieds, quand elle eſt cultivée, ou d'un pied & demi quand elle ne l'eſt point, ſe repandant en large, & ſe diviſant en des rameaux longs, droits, aſſez gros, rougeatres:. Ses feuilles ſont longues, étroites, épaiſſes, charnues, finiſſant en pointes, & quelque fois un peu piquantes, pleines de ſuc. Sa fleur eſt à pluſieurs feuilles, de couleur jaunatre: il lui ſuccede un fruit preſque rond, membraneux, rempli d'une ſemence, ſemblable à un petit ſerpent roulé en ſpirale.*

Dantur diverſæ ſpecies Kali, quarum quædam veræ aliæ ſpuriæ ſunt.

TOURNEFORTIUS immortalis nominis Botanophilus, in ſuis Inſtitutionibus rei herbariæ p. m. 247. ſequentia conſcripſit verba: *Kali eſt plantæ genus flore roſaceo, plurimis ſcilicet petalis in orbem poſitis conſtante, ex cujus meditullio ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum fere globoſum, membranaceum ſingulari ſemine fœtum, cochleæ inſtar intortæ & plerumque petalis floris obvolutum.* Quibus ſubjungit veras & ſpurias herbarum Kali ſpecies: quæ vero omnes, cum tam ſint diverſæ inter ſe, utique in propatulo eſt, quam difficulter ſit ſcitu, ex quanam Kali tam in Gallia, Carthagine, Caroburgo & Burdegala * quam in Saxonia ſoda recte paretur: Hinc mirum non erit, quum quis in productione *ſalis Seignette* ſcopum ſuum non aliter attingere poterit, nisi veram ſodam alicanticam ad manus habeat præſentem.

§. VII.

Notæ characteriſticæ Sodæ optimæ & veræ manifeſtantur.

Soda igitur, ſi ex voto præparata fuerit, calcinata ac arida apparet, quoad colorem vero ex cano-cœrulea ſpectatur, in qua notatu dignum eſt, quod ipſa aëri expoſita, non item, ut alia ſalia alcalia liqueſcat, ſed conſtanter firmam ſuam tenere ſoliditatem obſervetur.

§. VIII.

Inveſtigationes Sodæ, a. cum Sale ammoniaco,

Pro rei porro exigentia, ad inveſtiganda ſodæ hujus contenta, ſequens inſtituimus experimentum: Itaque paululum de ſoda ſolvimus in aqua, cui ſolutionem ſalis ammoniaci addentes obſervavimus, quod illico atque confeſtim volatile quidpiam ex ſale ammoniaco cooperari coepe-

* Vide Dictionaire univerſelle de Commerce p. m. 1589.

Digitized by Google

cœperit: de hinc lixivium ſodæ ipſum, cum ſyrupo violarum confudimus, quem alcali ſimilem, in viridem transmutatum colorem invenimus. Ulterius coćturam ſodæ cum ſpiritibus acidis traćtantes, bene annotavimus, quod cum ſpiritu vitrioli agitata, inſignem excitaverit lućtam, in qua maxime mirandum fuit, quod ex hoc ſeu corpore ſalino-alcalico, mixtura cœruleata apparuerit. * Hoc modo comparatum liquorem filtratum ipſum evaporari curavimus, ex quo ſal cryſtallinum, duplici ſe repræſentabat figura. ſuperius enim cubicè efformatum guſtum ſalis culinaris præbuit, inferius autem oćtangulare, ſaporem habuit amarum, atque ita lamellatim, jucundo ſpećtaculo cohærere cernebatur, quibus ita omnibus tentatis ac abſolutis, tandem nil niſi tartarus vitriolatus remanere conſpiciebatur.

b cum Syrupo violarum,

c. cum Spiritu vitrioli.

§. IX.

Pari ratione ex lixivio cum ſpiritu nitri mixto, duo ſalia diverſa producuntur, quorum unum in forma nitri prismatici hexagoni pellucidi comparens, carbonibus impoſitum deflagrat; alterum vero inſtar cryſtalli cujusdam ſpećtatum cubicum, ſali communi ſimile exiſtit, quodquod igni admotum, omnino decrepitare obſervatur.

Porro cum Spiritu nitri continuantur.

 §. X.

* Notatu dignum eſt, quoties Soda depurata cum ſpiritibus acidis, ſalis, nitri & vitrioli combinatur, toties lixivium cœruleum apparet, ex quo pedetentim tenerrima Terra cœrulea fundum petit, quæ debita edulcoratione, ultromarino æquiparatur & pićtoribus inſervire poteſt: quod etiam Conſiliarius Saxonum Regius D Henckelius in ſua Pyrotologia communicare publicoque commonſtrare annifus eſt.

Digitized by Google

§. X.

Tandem cum Spiritu ſalis inſtituuntur.

Itidem ex lixivio, quod ſpiritu ſalis rectificato ſaturatur, nullum aliud, quam corpus cubico cryſtallinum evenit. Pergentes autem in proceſſu, ac libram unam de ſoda alicantica arripientes quamque aqua quadam deſtillata diligentiſſime quis lixare, evaporare & ad cryſtalliſationem reducere intentat, dubio vacat, quod exinde uncias ſex & drachmas duas ſalis cryſtallini obtinere poſſit: Magma vero ſalinum reſtitans, ſi per evaporationem exſiccatur in pondere ℥ij. ʒj. ſeſe oſtendit, in quo ſapor alcalicus præ cryſtallino communi & ordinario etiam atque etiam praevalet. Caput mortuum hujus ſodæ aut ejus remanentia, poſt elixivationem peractam, plane arefectum, vix uncias quinque offert, hinc unciæ duæ & drachmæ quinque deficientes, partim in filtratione, quod abierint in auram, partim ſodæ humiditati, quod copulatæ fuerint, ſtatuendum eſſe opinor. Quod reliquum eſt, alia cryſtalli albi figuram repræſentantia guſtumque ſalino alcalicum habentia, ſi prunis injiciuntur, paululum quidem ſibillant, neutiquam vero crepitando peſſundantur, ſed firmiter in igne, calcinata permanent ac conſervantur.

§. XI.

Soda nitrum immixtum eſt.

Si ſali huic albo cryſtallino oleum vitrioli commiſcetur, fortiter effervescit & ſpiritus quidam ſeparatus, qui nitri odorem habet, obtinetur, quique ſatis penetrans animadvertitur. Hinc judicamus, quod ſal ſodæ ſimul cum nitro immixtum ſit, exque eodem in ſuo receſſu participare debeat.

Cum mixtione alu-

Rebus ita penſitatis, non ita pridem detegendæ experientiæ ergo, de ſale cryſtallino modo di-

cto

Digitized by Google

ctο alcalico libræ quadrantem remiſcuimus, cum duplici ponderis aluminis uſti quantitate, inde deſtillationem aliquoties perfecimus, quæ prævia rectificatione aquam regis aurum radicaliter ſolventem, ſuppeditavit. Cum vero notum ſit, quod putus purus ſalis ſpiritus nunquam deſtruat aut dividat aurum, hinc primam capio probationem, ſodam hanc nitroſas ſimul tenere partes. Aſt cum Nitro libentiſſime in hujus ſodæ ultro contenta inquiſiviſſemus niſi tempore hac vice impediti, impoſterum intimius inſtituere rerum examen, ſatius duxiſſemus. Interim incipiebamus inſpicere curatius caput mortuum, cujus particulam nitro in crucibulo fluenti adjecimus; quæ ſubito deflagravit, quod vero alias tum demum accidit, quando ſoda ante depurationem ſuam cum ſibi adjectis confunditur. Ultimo opere pretium eſſe putavimus, ſicubi ſodæ oleum vitrioli inſtillare conaremur, id quod bene ſucceſſit, ſiquidem parem ſenſimus odorem, ac ſi alcali cum ſulphure commixtum tractaremus. Verum enim vero Fœtor hic hepatis ſulphuris ſemper aſſurgit, quando acidum vitrioli bene purgato capiti mortuo combinatur: id quod forſan cauſam trahit ex carbonibus ex parte inflammabilibus ſodæ immiſtis, ac inexiſtentibus, cum ſodam non per elicturam ſed per calcinationem parari ſolent. Ex his jam prolatis optime concludendum eſſe auguror imo adfirmo, ſodam eſſe Corpus ſalino-heterogeneum, ex ſale alcali, indolem ſalſuginis communis habens cumque nitro mixtum, conſtans atque exiſtens, quodque in productione ſalis Seignette ſingulare & aliquod præcipuum in ſe continet ex quo peculiaria formantur & concreſcunt cryſtalla. Conſiderata igitur parte ſalis Seignette prima fundamentali, aggredimur ejus

minis ex ipſa aqua Regis obtinetur.

In mixtione ſodæ cum oleo vitrioli aſſurgit fœtor hepatis ſulphuris,

Digitized by Google

ejus nunc ſecundam in contemplationem vocare portionem eſſentialem, quam tartari cryſtalli, ſive hujus cremor conſtituunt, qui autem nil eſt, quam ſubſtantia quædam tartarea, ab omnibus crudis atque terreis liberata particulis; verbo: quæ, tartarus ſumme purificatus dici poteſt. Quod cum ita ſit, quali iam regno ipſe annumerari debeat, vix ac ne vix quidem affirmare valemus, ſubſtantiam etenim ejus atque attributa quibus pollet contemplantes, ad penum ſpectare mineralium judicamus; in originem autem inquirentes ſuam, ad claſſem vegetabilium pertinere arbitramur.

Contemplatio cremoris tartari.

§. XII.

Definitio Tartari exhibetur.

Hoc in conſideratu, tartarus nude ſumptus, eſt utique concretum illud ſalino terreo oleoſum, ab acido vini poſt fermentationem, ſpectatu relictum. Hoc quippe cum fecibus ejus, h. e. ſalinis terreis & viſcoſis particulis coagulatum, ſal eſſentiale vini, vaſis vinariis eorundemque lateribus ac fundis inhærens, conficit, quodque à Germanis der Weinſtein vocatur, quamvis in ſenſu genuino cognomen lapidis ipſi non ſit tribuendum, ſed potius HELMONTIO docente *in tractatu tartarus non in potu* §. 4. liquor ſalis concretus nominandus eſſet, ſiquidem de tartaro dici poterit, quod dudum jam BASILIUS VALENTINUS de vitriolo carminice ſcripſit: Es iſt ein Stein und doch kein Stein. Interim ex tralatitia nuncupandi ratione, partim pro lapide venditatur, quia ſoliditatem, omnibus lapidibus communem poſſidet, partim quia per aquam diſſolvi ac iterum coagulari ſe patitur; aqua etenim fervente coctus, crudas & terreas amittit particulas

a) Tartarus per aquam diſſolvi & coagulari poteſt.

Digitized by Google

las ſuique ſolutionem exhibet, quæ autem prævia filtratione, ligneis ſive terreis quibus includitur vaſis, cryſtallinos non tantum bacillos undiquaque adhærere commonſtrat, ſed inſuper lixivium cum pellicula in ductum, quæ cremor tartari audit, protenus ſuppeditat. Concretum itaque hocce ſalinum in omnibus vinis acidis potiſſimum cernitur ac invenitur, inter quæ Rhenanum, Arabachicum, Hoheimerianum, Sommeracherianum, Werthheimerianum eminent: quibus vina Franconica quædam Gallica, ex his præſertim rubra adjungere convenit. Notatu tamen dignum eſſe puto, quod in vinis dulcibus e. g. in Hiſpanicis, Italicis ac Siraicis quibuscunque, ejusmodi ſubſtantia tartarea nunquam obſervetur, ex ratione in propatulo poſita, quod hæc omnia fermentationem aut partium intrinſecarum luctam nondum ſunt paſſa, ſicque inſequentis ſyncriſeos expertia manent. Præmiſſis hiſce, ad tartari analyſin facere excurſionem fors non abs re foret: cum autem hoc in negotio jam viri fama & eruditione clariſſimi æque ac celebratiſſimi omnem abſolverint paginam & tartari naturam & indolem prolixe ſatis inquiſierint, inter quos Angelus Sala, ZOBELIUS, * LANGIUS, ** NEUMANNUS *** merito vexillum tenent; ope ſupervacanea abſtinens, ad eosdem, Chymiæ addictum, remitto, in horum enim libris non ſolum hac de materia ſuffi-

b) Tartarus in vinis acidis potiſſimum invenitur.

c) auctores qui de Tartaro ſcripſerunt, enarrantur.

 cien-

* in Tartarologiis

** in operibus ſuis.

*** in Lectionibus publicis.

cientem informationem, ſed omnia ſuper, in Neumanni Lectionibus hac in parte exaratis, plures autores inveniet allegatos, qui de tartaro hujusque productis ex profeſſo verba fecerunt.

§. XIII.

Sal Seignette duplici modo præparari poteſt. Modus prior traditur per quem

Pergo igitur detectis *Salis Seignette* duobus ingredientibus conſtitutivis, ad ejusdem præparationem rite ac debite inſtituendam, quæ vero duplici effici poteſt modo: 1. unam ſcilicet ſodæ libram in aqua tepida reſolvo, ſolutionem hanc in vaſe carbonibus impoſitam conſtanter reſervo, cui ſubtiliſſime pulveriſatum tartari cremorem, interſpergo, quemque aptata ſpatula lignea etiam atque etiam in ſoda movens, tam diu cum inſperſione materiæ prædictæ continuo, usque dum efferveſcentia deſierit & punctum ſaturationis ſeſe ſufficienter manifeſtaverit. Quo autem de ſaturatione facta, eaque prout decet conſummata, firmiter ſim perſuaſus, lixivium cum ſyrupo violarum, aut liquore Terræ martis Haſſiacæ tentare expedit: ſi enim ſyrupus violarum permanet cœruleus, nec apparet viridis, vel liquorem martis non præcipitat, tunc certus eſſe poſſum, quod punctum ſaturationis verum attigerim. Poſt hæc liquorem hunc per filtrum clarifico, lixivium vero reſtitans in vitro aut in patina aliqua terrea usque ad ⅔ partem evaporeſcere ſino, hinc in cellam aut in alium frigidum repono locum, in quo ſi facta fuerit criſtalliſatio, in fundo

fundo vaſis non vulgare aliquod, ſed tergum verſus ſingulare quodpiam in forma Rhomboidea duplicata hoc eſt octangulari, ſe ſal evidenter repræſentat, quod maximum omnino in contemplatione cuivis delectamentum parere, quivis mecum confirmabit, probe penſitans, quod nunquam tam pellucida aut diaphana ex operationibus chymicis cryſtalla ſit obtenturus, cum toties quoties id laborum meorum mihi demonſtraverit eventus, ac quotidiana me docuerit experientia. Non eſt autem ut quis obvertat, quod tartarus tartariſatus probe purificatus, ſuam quoque ad oculum monſtret pulchritudinis figuram. Hic enim *Salis Seignette* admirabilem texturam nullo modo attingit, minusque ſuperat. Ceterum de tartaro tartariſato dicenti, in memoriam venit certi cujusdam Chymiæ addicti, inque arte exercitati viri aſſertum, in ſcriptis communicatum, quod male ſit factum, quando tartarus tartariſatus, per cryſtalliſationem præparatur, ſiquidem tartari cremor inter cryſtalliſandum ab illo ſeparari cernitur. Aſt ſuſpicor quod Chymiater hic, alias eximius, in præparatione tartari tartariſati lixivium alcalinum cum cremore tartari nimis augmentaverit, qui deinde neceſſario ſecedere debuit: cum autem lixivium alcalicum cum cremore tartari ad punctum ſaltem fuerit ſaturatum, nunquam inter illa accidet ſeparatio, ob quam cauſſam quivis veritatis cupidus, exemplum inſtituere idemque repetere poterit. Interea tamen viri hujus eruditi monitum, quam optime erit obſervandum, quoniam porro tartarus emeticus non per cry-

1) Sal Seignette repræſentat cryſtalla Rhomboidea & pellucida.

2) Tartarus tartariſatus, cryſtallus qualis ſit manifeſtatur.

3) Tartarus tartariſatus quod per cryſtalliſationem omnino parari poſſit oſtenditur.

ſtalliſationem, ſed per evaporationem, ad ſiccitatem cogendus, ex quo de effectu tartari emetici, ſemper certus quis fieri poſſit, qui non eveniſſet, niſi tartarus evaporando præparatus fuiſſet.

§. XIV.

Modus poſterior ſal Seignette præparandi inculcatur, pro quo vero prior ceu melior approbatur

Secunda *ſalis* noſtri *Seignette* conſtructio, ſequentem in modum formari aut ſuſcipi poteſt: Cryſtalla nempe tartari in tanta, quam quis ſibi propoſuit proportione, in fervida ſatis aqua ſolvuntur, quo facto, coctura ſodæ pededentim ad plenariam mixtionis ſaturationem affunditur, quæ poſtmodum per evaporationem & ſubſecutam coagulationem in cryſtallos, levi mutari poteſt encheireſi. Si vero dicendum quod res eſt, mihi primus arridet modus (1) quia brevior eſt, (2) quia alcali eo melius in cremore tartari reagere, ſeque illi melius immiſcere poteſt. (3) quia hac ratione proportio cremoris tartari accuratius determinari valet. Quas circumſtantias illi, quibus hujus methodi imitationem, in præparando ſequi volupe eſt, quam optime obſervabunt. Præterea Dominus GEOFFROY in communicatione hujus inventi, ad Academiam Anglicanam ſuaſor eſt, quod libra una ex ſoda depurata in aqua ſufficiente ſolvi debeat, cui libra una & ſemis tartari cryſtalliſati addenda: Hinc mixtio hæc tamdiu concoquenda, quam diu quis ſolutionem cryſtallorum tartari animadvertat, quorum vero liquor deinceps per filtrum transfundi, evaporari

porari

Digitized by Google

porari & cryſtalliſari debet, aſt hoc in proceſſu obſtacula non nulla eſſe mihi videntur: Quod ſi enim lixivium una vice cum cremore tartari infundamus carbonibusque imponamus, tanta ſuboritur efferveſcentia, qua ingredientia omnia, vitro vel vaſe terreo expelli videntur: accedit porro quod citatus autor præparationi cremoris tartari ſui haud ſufficientem addat ſaturationem; ſi quidem ad hanc reſpectu libræ unius ſodæ, prope, libræ duæ cryſtallorum tartari requiruntur: adhuc autem notandum hic venit, quod cremor tartari difficillime in aqua ſolvatur, ubi vero ſui ſolutionem obtinere par eſt, aqua ebulliens neceſſario accipitur, ſi autem cum ſale alcali eſt combinatus, ex adverſo facillime & quidem etiam in frigida ſe discludi patitur, id quod etiam in *ſale Seignette* obſervabitur, ſicubi ad hujus unciam unam menſtrui aquoſi, unciam unam & ſemis huic negotio impendere allubeſcit.

§. XV.

Deſtructio ſalis Seignette per deſtillationem.

Quamvis autem inficiandum minime ſit, quod tartarus cryſtalliſatus intime cum ſale Sodæ concatenatus fortiterque connexus ſit; hoc tamen connubium facile tam per deſtillationem, quam per calcinationem oppido diſſolvi poteſt. Primum ſi quis tentat modum, eum oportet, ut uncias nonnullas *ſalis Seignette* a) retortæ vitreæ parvulæ indat, inque capellam collocet, gradatim autem ignem augendo tartari acidum in

figura nebuloſa ac fumoſa ſecedit, cum quo ſimul ſubſtantia tartari oleoſa in altum ascendit. Hoc in labore tam diu continuare fas eſt, usque dum omne quod deſideramus eductum & elatum fuerit, id, quod tum colligi poteſt, quando videlicet nebulæ inſtar, exhalationes viſæ evaporare deſinunt, ſic enim alcali ſodæ in fundo retortæ colore candido aut albo invenitur. Quando ſeparationem per calcinationem tractare incepi, *ſalis Seignette* unciam unam crucibulo injeci, quod in furnum fuſorium ponens, ignem ſubjeci tamque lente calcinari curavi, usque dum tartarus exhalaverit & ſal alcali in fundo crucibuli viſum fuerit. Sal itaque hoc alcali ſodæ, ſi per aquam denuo reſolvo, & de novo cum cremore tartari ſaturatum reddo, licturam autem prævia filtratione ac evaporatione ad cryſtalliſandum cogere conor, *ſal Seignette* tam elegantia cryſtalla præbet, quam antea nitida viſa fuerunt.

b) *per calcinationem demonſtratur.*

c) *Ejus Recompoſitio adſirmatur*

§. XVI.

SalSeignette remediis polychreſtis annumerari poteſt.

Ex hiſce poſitis ac ſingillatim acceptis, quis dubitet aſſerere, *ſal Seignette* nil aliud eſſe, quam ſal medium ſive tartarum quendam ſolubilem. Et cum Excellentiſſimus Conſiliarius intimus, Medicus pariter ac Chymicus nominis immortalis D. HOFFMANNUS omnia ſalia media, remediis annumeret polychreſtis, dubio vacat, quod *ſal* noſtrum nemini ſit degeneraturum optatum ſuum effectum, quem in corporibus huma-

nis

Digitized by Google

nis toties totiesque manifeſtavit, deque die in diem quivis medicorum adhuc dum abunde experietur.

§. XVII.

Sal Seignette in ſapore non eſt adeo tædioſus quam alia ſalia media

Quod ſalis hujus ſaporem attinet, tantum abeſt, ut adeo ſit tædioſus, quam ille, quem alia ſalia, inprimis Seidlitzenſe atque Anglicanum guſtatu exhibent, ſed ſuavior utique linguæve minus moleſtus reperitur. Ex hac cauſſa liceat mihi commemorare, quod uſum *ſalis Seignette* Sereniſſimus REX STANISLAUS nuper Regiomonti præſens approbaverit, hocque in vicem leniter evacuantis medicinæ, uſurpare nullus dubitaverit. Detecto ſic in tanto corpore medicaminis hujus optimo effectu, degentibus hic itidem Magnatibus Polonicis, idem ab Archiatro ejusdem Experientiſſimo D. RöNNOW ſæpe ordinatum fuit, ex quo præterea apud nos remedii hujus præclariſſimi virtutes in publicum magis perſonarunt, poſteaque apud plurimos multo frequentius hoc in memoria pariter ac in uſu permanſit.

Eſt medicamentum leniter evacuans.

§. XVIII.

Salis Seignette ſolutio corpora Gummoſo-Reſinoſa extrahit.

Tandem innuere non omittam, quod etiam *ſal Seignette* in forma ſoluta conſiſtens, pro menſtruo ſatis probato ad ſolvenda & extrahenda corpora gummoſo-reſinoſa in Pyrotechnia commode adhiberi queat, ex. gr. Ex gummi laccæ colorem extrahit rubrum,

Digitized by Google

Soda vera cum olivarum combinata ſaponem alicanticum conſtituit.

brum, quando cum illo ſimul concoquitur, reſolvit quoque Myrrham & ſimilia. Ultimo addo, quod in inquiſitione ſodæ bene annotaverim, quod in ſe habeat alcali quoddam peculiare, ex eodem, mediante cremore tartari ſingularia formet cryſtalla, ex quo autem inſuper non falſo me judicaturum confido, ſodam cum oleo olivarum conjunctam, peculiarem omnino eumque haud ſpernendæ utilitatis conſtituere *ſaponem alicanticum* appellatum, cujus vero inveſtigationem alio tempore me communicaturum promitto. Hæc interim de *ſale Seignette* ejusque ſoda ac uſu dixiſſe ſufficiant!

D. L. S.

Digitized by Google

Ad Lectorem benevolum.

***

MICROSCOPIUM,
vitrum artificioſè acutiatum,
clarè politum,
ad Illuminationem pariter
ac Uſtionem adæquatum,
Tibi,
Lector benevole,
haud erit ignotum.
Hoc quidem Vitrum
neque in ſe fovet lumen,
neque per ſe excitat flammam;

Digitized by Google

Quàm primum autem,
ex Arte opticâ,
ad Uſum practicabilem
adſtat præparatum,
lucem nobis præbet ampliantem,
&,
mediantibus Solis radiis,
Uſtionem parat flagrantem,
ſuumque ſtatim Uſurpantibus
communicat Effectum.
Res hæc,
ut ut acutiorem mereatur indaginem:
ita ſpero,
meditationes meas
Veritatis limites attingere poſſe;
Tuas, Lector,
ſi lubet, addere meis,
utrumque noſtrûm
haud incongruè feciſſe
opinor,
VIRUM
Prænobilisſimum atque Experientisſimum,
Dominum
FRIDERICUM GOTTLIEB
HAUPTIUM,
Aulæ Regiæ Pruſſicæ,
Pharmacopœum digniſſimum,

nec

Digitized by Google

nec non
Collegii, quod Regiomonti eſt, Medici
Aſſeſſorem benè meritum,
cum MICROSCOPIO PRÆCELLENTE
aliquantulùm comparaturi.
Et ſic res quoque ſe habet.
Scias enim, Lector favens:
Naturalis Hauptii Inſtinctus
neque ampliantem Ipſi
ſuppetere valuit Perſpicacitatem;
neque ignem,
ad erudienda aliorum Ingenia,
ex ſe potuit excitare,
usque dum
divina ab alto petita ſapientia,
Illuminationem ſuam
non modò adauxit
in Hauptio ipſo,
ſed & Intellectum,
ſimul ac Judicium ſuum,
ita præparavit,
ut diſcere cupidi
per effluvia,
de ſuâ,
ſibi per influxus datâ Exuberantiâ,
nunc inflammari poſſint.
Scire cupidus,
Amice,

 Enco-

Digitized by Google

Encomii hujus non fucati
Probationem?
Quære ſis, ubi latet,
in eâ ſcilicet,
in multorum Ingeniis inter nos
hactenus adhuc coruſcâ,
per Operationes Hauptii practicas
nunc magis magisque incenſâ,
& jam clarè nos allucente
CHYMIA EXPERIMENTALI,
quam diſertè, perſpicuè ac operosè
demonſtrandam,
SACRA REGIA MAJESTAS IN PRUSSIA &c. &c. &c.
Dominus noſter longè Clementiſſimus,
HAUPTIO,
Docentium numero nunc adſcripto,
demandavit ſeriò,
Eumque Charactere ac Honore
PROFESSORIS
in Academia noſtra
CHYMIÆ EXPERIMENTALIS
PUBLICI,
gratioſiſſimè dignatum,
hodiè produxit in ſcenam.
Adeſte igitur,
quorum Ingenia ſunt polienda,
Intellectusque acuminandus!

Adeſte,

Digitized by Google

Adeſte,
Lucem, tenebras penetrantem
inſpicite,
effectumque MICROSCOPII HUJUS
perſentite!
Ipſe, ſi tu addictus es
Scientiæ huic præcellenti,
Amice Sodalis,
adi Proferentem,
audi Docentem,
adjuva propriis manibus
Hauptium operantem!
Laudabis ſanè Profeſſorem,
cum applauſu Doctrinas enucleantem,
Ejusdemque extolles Productum.
Benè ſit Tibi,
qui rectâ incedis ſemitâ,
per quam Hauptius,
dexteritate ſuâ,
ad ampliorem te concomitabitur
Viam.
Sequere Eum tutus,
de Neceſſitate Artis hujus ſcientificæ,
deque ejus Utilitate
tecum in Viâ diſſerentem!
Aſſiduitati itaque deditus,
Scientiâ præditus,

ad

Digitized by Google

ad Operationes experimentales
aſſuetus,
gaudio ſuperfuſus
tempore ſuo gloriaberis:
Majora jam jam,
luce meridiana vidimus clariora,
quam quæ Microſcopium
Impreſſionum noſtrarum,
jam diu obſcuratum,
nec unquam ſatis politum,
noſtræ communicare potuiſſet
Deliberationi,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

In Exiſtimationis optimè meritæ teſſeram, & Amicitiæ mutuæ conteſtationem, levidenſes has poſuit lineolas, Dni. Profeſſoris Hauptii amicus inveteratus

Joannes Roſnerus,
Sacræ Regiæ Majeſtati in Pruſſia
à Legationibus Secretarius.

Regiomonti,
d. IX. April. 1740.

Digitized by Google